

gub





ACCLAMATIONES

**CLARISSIMO, IV-
RIS LEGVMQVE SCIEN-
TIA PERITISSIMO, PRVDEN-
tiâ, longoq; rerum vsu instructissimo Viro**
Dom. M. IOANNI CONRADI Sten-
dalia, Amfurtum in locum Excellentissimi
Iurisconsulti D. IOACHIMI á
BROITZEN &c. mi-
granti

Gratulationis faustæ causâ tranf-
missæ.

ab
Amicis



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius. Anno
M. D. XCV.





IOANNES CVNRADI.

ἀναρχαυματιζόμενος

AN NON DICES IVRA?



*Cquid Marchiacas, vir candide, deseris vrbes,
Externiq; subis hospita tecta soli?*

*An piget officij curaq; inamabilis? AN NON
Romulei DICES ciuica IVRA fori?*

*Firma tibi est etas; rerum experientia prudens:
Vlterius studijs utilis esto tuis.*

Non curas, vt credo, fugis durosq; labores:

Ocia nec vitæ pigra latentis amas.

Ergo, quod patriæ multa cum laude dedisti,

Illud nunc alijs te dare fata iubent.

Obsequere imperio superum: quod inibis id ipsum

Munus honorati sustinere viri.

Henricus Meibomius, Poëta laureatus Cæsarius,
in Iulia academia Poëf. & historiarum
professor publ. f.





VOTVM GRATVLATORIVM

Scriptum à

Theodoro Rodetidichio V Verbernate, verbi,
in Ecclesia, quæ ad D. Mariam Stendaliæ
confluit, ministro.

*Vota valent, si fata volunt, DEVS annue votis
Vt mea sint vitæ fata benigna diu.*



Vminis officio mortalibus omnibus ægris
Est opus, obseruent vt Pietatis iter,
Quod digito sculpsit tabulis, posuitq; se-
quendum,
Quem sacrû legit Gentibus orbe, gregi.
Quodq; Polo missus, solusq; salutifer Orbi,
Præuius ostendit Filius arce Patris.

Corruet haud vnquam qui, passu stare tenaci
Nouit in hac, illi qui bene trita viâ.
Sed sua victrici cinctus pia tempora Lauro
Stabit ouans animis sidera clara super,
Cum referent iusti meritæ sua præmia palmæ,
Et reprobos omnes Tartara nigra coquent.
Orbis habet rerum tantum simulacra, figuras,
Fallitur, AEsopi ceu Canis, illa sequens.
Quæris opes? labor est. mittis? dolor. abdis in arca?
Anxietas noctes te premit atq; dies.
Ne tua, Vulcani vis, ditia tecta resoluat
In fimum, turpis furûe latroue, petat.

Thefaurosq; suos pectus quod spectat auarum
Vota facit, fictæ religionis opus
Quid petat ille nihil cui desit? & omnia nummis
Idolatra suis conficienda putet.
Aere premit miseros, vicinorumq; labores
Aufert & in terris turpe grauamen agit.
Adde quod & Genium dum fraudat, sæpius autor,
Tantalus, est diri funeris ipse sui.
Hæredi tandem quid linquit? Numinis iram
Et populi diras, iurgia, bella, necem.
Ambitiosus honos titillat pectora cæca?
Inuidiæ stimulis mox capiêre malis.
Si passis cernes alios contendere velis.
Qua tua debuerat currere Cymba via
Quodq; famem penitus voti patiêris auari,
Conficiet miris languida membra modis.
Lætus & optatis frueris? Labor ecce dolorq;
Mox subeunt celeri splendida tecta pede.
Præcipitemq; trahunt sortem, mutantq; vicissim
Lætitiæ ne sit firma columna tuæ.
Aspice quâm vitæ cursus mutetur in horas,
Felicem mortis quem rear ante diem?
Est fixum terris ad eò nihil omnia verti
Cernimus, est solo, spes, rata, fixa Polo.
Ergo D E V S cunctis est supplice voce rogandus
Ne velit errantem deseruisse ratem
Illius at velis aspiret, vt aura secundis,
Aura, fatum propter, quæ venit vna polo.
Labis vt expertem per mille pericula vitæ
Contingant metam. Quis meliora roget?
Quod facis, & multi, iuuat, in tua vota ouamus,
Vt spiret velis aura secunda tuis.

Quem-

Quemq; petis portum cum Coniuge, prole, domoq;
Tota, sit felix. sint rata vota precor.
Detur inoffensum vitæ tibi tangere portum
Et mollis fati concumulare dies,
Quodq; facis laudi diuinæ seruiat omne
Post tua, post spectet commoda, cura mea
Quemq; tuos inter numeras syncerus amicos
Absenti faueas semper amore pari
Hæc ego dum, cœli vaga fixaq; sidera, lustro
Forfitan an fati sint quoq; causa mei
Pro te vota, preces, suspiria pectoris imo
Ingemino, spes viue valeq; diu.

A L I V D.

M. IONAE NICOLAI OSTERVIC. PA-
storis Amfurtensis.

*MIGRAVERE Patres; quid nos? MIGRABIMVS & nos
Ad superas ades. Sis via, CHRISTE, precor.*

VIta quid est hominis? tantum MIGRATIO
tristis,
Perpetuusq; labor perpetuusq; dolor.
Ecce peregrini sumus; Estq; simillima nostra
Vita viatori, qui loca multa petit.

Rex Pharius quærens, quotnam transegerit annos
Isacides; audit talia dicta Senis:

Et brevis & miser est decursus totius æui
Plurima cui semper mixta fuere mala.

Iessidesq; refert; Ego sum vagus incola mundi
Sedibus in superis ciuis amicus ero.

MIGRAVERE Patres Sancti, diuiq; Prophethæ,
Magna caterua virum foemineiq; chori

A 3

Erra-

Errarunt multi: deserta per inuia, densas
Per sylvas, nemorum lustra per umbrifera
Cornigeras secum vaccas, placidasq; bidentes
Duxerunt, gnatos filiolasq; suas.
Impia sic Tharides Chaldææ tecta reliquit,
Et fuit in varijs aduena sæpe locis.
Per madidas terras, per siccaq; rura pererrans
Isacidas duxit signifer Amramides
Numides, pius Helcanides, sacer Isaidesq;
In mundo fixas non habuere domos.
Induperatores, Reges, Comitesq; ducesq;
MIGRARVNT alio sic moderante Deo:
Non sunt hîc miseris nobis habitacula certa,
Cœlestes aulæ limina certa dabunt.
Vix licet AEmathio iuueni suffecerit orbis
Attamen in terris incola durus erat.
Sic hominum splendens est vita, miserrima vita,
Nunc huc nunc illuc nos pia Fata vocant.
Vt variæ varijs variant Aquilonibus auræ,
Sic varijs hominum subdita vita Notis
Nunc huc migrantes nos iactat mira procella
Nunc aliò cymbam ventus & aura vehunt
MIGRANDVM nobis, triplices dum fila sorores
Ducunt, MIGRANDVM mors vbi mœsta venit.
Sic MIGRARE tuum fuit huc illucq; MAGISTER
Qui calles artes & pietate vales.
TANGERMVND A iacens ad canas Albidos vndas,
Formauit mores ingeniumq; tuum.
Postea facundi te Patria terra SABINI
Aonidum fecit castra diserta sequi.
BRVNOPOLIS docuit linguas, artesq; politas
Vrbs præstans doctis ingenuisq; viris.

Hinc

Hinc sacra Pegasei gustasti numina fontis
Sunt vbi LEV CORE AE culta theatra scholæ
Deniq; vidisti celeberrima tecta Lycei
Quæ rapidus gelidis ODERA stringit aquis.
Nec tantum studijs adiungere sacra prophanis
Cura fuit rarò quæ rude vulgus amat.
Sed postquam lauro tua tempora cinxit Apollo.
Atq; tibi clarum nomen habere dedit.
Patria te vidit Cantoris munere fungi
In templisq; sacris dulce sonare melos.
GARDLEGI vitreo quod lambit flumine MILDA
Rexisti celebris virgea sceptrâ scholæ.
Dein' Patriæ caræ servisti, quando Senatus
Te Secretarij iussit obire vices
Factus ibi simul es Patriæ Camerarius vrbis
Et ibi Res curæ Publica tota fuit.
Post natale solum liquisti fidere fausto
STENDALIOS (fato) iussus adire lares,
STENDALIVM MIGRANS audisti Syndicus acer
Mandatum cordi cui fuit officium
Quod post deponens studium fidemq; probasti
Vrbibus eximijs MARCHIACISq; viris
Magna fuere tibi commissa negocia, quando
Vis est argenti tradita magna tibi.
Quæ quisuis numeranda locisq; virisq; quotannis
Credita sunt fidei, fulua metalla tuæ.
Inde vocatus es AMFVRTVM, solertia quando
Est ASBVRGIACIS cognita facta viris
Hinc etenim quia BROIZEMIVS Clarissimus arte
Iuridica, Patriæ mœnia grata petit;
DOCTORI summo succedis docte MAGISTER,
Facturus munus nocte dieq; tuum.

Ergo

Ergo vita brevis **MIGRATIO** iure vocatur,
Nos siquidem mirè Numina Dia trahunt.
Sic **HORTLEDERI** notissima fama **VALENTIS**
In nostris inter non morietur agris.
ASSENBVRGIACVS per septem lustra minister
Hic indefessa sedulitate fuit.
At sancto fato lumen vitale relinquens
Iam capit in **CHRISTI** gaudia vera sinu.
Quam bene **MIGRAVIT**, lætum qui scandit Olympum
(Viuereda sanctè **CHRISTE**, pieq; mori.)
Huic mox Cæsareo successit iure politus
MEIERVS, patrij lausq; decusq; soli.
QVEDLINGAM linquens **AMFVRTIC** Atecta subiuit
Facturus Spartæ debita iussa suæ.
At vix Luna quater complerat cornibus orbem
Attulit ægroto cum fera Parca manus.
Ereptus terris cœlum **MIGRAVIT** in altum
Commutans miserum cum meliore locum.
Pone secutus cum **BRVNONIS** natus in vrbe
BROITZEMIVS, generis splendida fama sui.
Coniuge cum castâ totam trieterida vixit
Hic cum filiola filiolisq; suis.
ASSENBVRGIADVM domus est experta fidelem
Huius opem, studijs consilijsq; bonis
Hinc **BRAVNSVICENSI** verò reuocatus ab vrbe
Ad patriæ **MIGRAT** mœnia clara suæ.
Sic **COMMIGRANDVM** nobis est omnibus horis,
Quò nos diuini numinis aura vocat.
Quò nos Fata vocant constanti mente sequamur,
Nam sanctos nouit mirificare **DEVS**.
Est felix, felix cuius **MIGRATIO**: fixam
In cœlo sedem, qui benè **MIGRAT**, habet.

Ad no.

Ad nostras igitur quoniam feliciter oras
 MIGRASTI, salua prole, domoq; tua:
 Gratulor ipse tuis laribus, facunde MAGISTER
 Atq; tuis cœptis prospera fata precor.
 ASSENBURGIAE domui tua munia fidis
 Consilijs præstes, consilijsq; iuues.
 Astrææ studium flagrans & feruidus ardor
 Te super astra ferant, sitq; perennis honos.
 Angelica cingant tua tecta tuosq; ministri,
 In varijsq; tegant teq; tuosq; locis
 Ne MIGRES aliô, ruri quia blanda voluptas
 Hic deges vitæ tempora læta tuæ.
 Sensibus ac imis, & quicquid corde sub alto
 Fine bono versas, Exitus omne probat.


VOTVM.

Continens numerum anni, quo MIGRATIO Amfurtum versus facta est.

Sancte fac aspices Cœpto Rex Chryste Labori
 TV Rex sis Vitæ tV Cynosura Meæ.

Ἰὸς ἐμείο πῶτα λαοσὺς πρὸς δὲνηγῶν
 Ἰὸς ἀναξ πρὸς καὶ κυνόςτρα βίη.

ALIVD.


 T quâ Stendaliæ quâq; hinc via proxima Tangræ
 Mergitur, ornarat te tua Sparta satis.
 Abstinnisse dedit DEVS hac & in arce potentum

Nobilium cultus iussit inire novos
 Sic qui nostrarum rationum Præses Apollo est
 Non vna est omnes sede professus opes.

B

Sic

Sic licet Eois sol mane moretur in astris
Non tamen Hesperias vespere temnit aquas,
Libertatis honos studijs patet omnibus idem
Et nusquam clausum est Pallados obsequium.
Spontè suâ commune bonum communiaq; acta
Fecit Aristoteles, fecit & ipse DEVS.
Inde viri comitas, & rerum Praxis & ordo.
Tam latè ingreditur, quam patet ipse decor
Nec minus ad Troiam Nestor quam affixus Athenis
Vtile belligeris dat stratagema viris.
Nec minor est habitus vates summotus ad Istrum
Quam quando Ausonijs lusit arundinibus.
Sparsa nata solo non vnius ore bibuntur
Vina, nec vnius serosa pandit agris.
Cultor agri patrij tribulos miratus agrestes
Pro tribulis alibi Gargara ferre queunt
Et nunc vuarum messem promittit in vltimo
Vitis, & extremam poscit adulta manum.
Te quoq; poscit honos & iter, namq; hospita tellus
Cras tibi in Amfurda est exhibitura dapes.
Elmæ Iuliades certatim Heliconis ab vndis
Mane salutatum, sic placet ire volent.
Herciniæ Nymphæ, Fauni Dryadesq; sorores
Vespere spectatum, sic placet, ire volent.
Verecordes valeant, ego toti gratulor orbi
In patriam dulcem qui dedit omne solum.

Quis

5.
Quis non Mercurio surgat, si numine Diuum.

Imperet vndosonis viuere littoribus?

Quo te cunq; vocant non irrita Fata sequendum est

Siue patens spinis sit via, siue rosis.

Nempe Dij faciles humanæ in commoda prouisi

Faxint oblatæ numen inesse viae.

Sis felix & saepe tibi meminisse recurrat

Firmare inceptas nostro in amore vices.

Henningi Papenij Scholæ Stendali-
ensis conrectoris.

A L I V D.

IN quo diuinam generosi pectoris auram
Mens fitit, & virtus semina longa fo-
uet.

Is comitante gradus fato, meditabitur alas

Munia quo vitæ prosper ad alta volet

Is sapit: vt summum videt acrius vrere Phœbum

Nubilaq; aeriam scindere spissa rotam.

Sic putet inuidiæ compescere murmura camo

MENTEM, fortuna quem sacra penna leuat.

Non dedit hoc error: raro ad sublimia fertur

Is, sordes vigili quem sine mente tegunt.

Clare viæ & donis imitator imagine Thesei

Vita tibi claris æmula laude viris.

B 2

Ecce

5

Ecce iterum iacta est felicior alea lusu
Dum Spartæ alterius te nouus ambit honos.
Teq; ad maiores poscunt suffragia fasces,
Ne sis qua vixti forte minore minor.
Sic VIRTVS hominum promotrix ardet in illos
Vera quibus vitæ est anchora tuta salus.
HAEC (mirum) raras merces sapientibus auget
Vsuræ varias grandis agitq; vices.
Numine res etiam hæc geritur: Spectata IEHO.
In tenui vitæ est puluere grata fides. (VAE
Inde FIDEM pensant diuino præmia nutu,
Præmia conspicuis arte ferenda viris.
Maecte vir Astrææ cultus iam VALLERE relicta
Eripe te, PORTVSTE vocat inde moræ.
Quàm tibi felices opto successibus horas
Solis habent quoties vesper & Ortus equos:
Hæc tibi fors maneat, succedat gloria, durent
Euboica Euripum dum rotat vnda vagum.

*M. Thomas Rochouius, Helmæstadiensis scholæ
Tangermundanæ Rector F.*

A L I V D.

*S*cilicet vt rigidi miles certamina Martis
Non metuit, laudem sed magis inde petit.

Et tan

Et tandem positis armis, ac hoste fugato,
Munera pro meritis à duce digna capit:
Sic solet alma **T H E M I S**, Iuris Iustiq; ministra,
Cultores tandem ritè beare suos.
Principioq; licet dubijs ambagibus **O B S T E T**,
C A S I B V S & varijs tædia mille paret:
Hos tamen ingenti pensat bonitate labores,
Præmia victrici reddit & ampla manu.
Testis eris nobis vir præstans Iuris & æqui,
Maxima Pierij gloria **I A N E** chori,
Quem **D E A** post multos ornauit **S A N C T A** labores,
Stendaliæ claro inssit & esse loco
Ars ubi te doctum, sapientem reddidit vsus,
Conspicuum rara cum pietate fides.
Nec tamen his contenta bonis, virtute, nitentem
Ad magis illustres te trahit vsq; gradus.
Et nunc Marchiacis terris in Saxonis oras
Amphurtum, Domino fata regente, vocat.
ASSENBU R G I A C Æ quores & commoda **G E N T I S**
Consilioq; regas, auxilioq; iuues.
Maeste noua virtute nouum iubar addito fame,
Propositumq; animo semper adauge decus.
Suscipis eximium pulchro conamine munus
Antea præstantes quod subière viri.
Præcipuè, cui succedis, Broitzemus & illo
Cum magna functus munere laude fuit.


B 3

Broitz-

Broitzemus quem iam tractantem publica pacis,
Brunopolis patrio gaudet habere sinu,
Qui duce Forstero sacrosancti Iuris ocello,
Doctoris quondam præmia summa tulit.
Nicrus ubi sonat, atq; vigent præclara lycea,
A Myrtis vulgò quæ sibi nomen habent:
Ergo tibi tantos vir præstantissime honores
Gratulor & cæptis prospera cuncta precor.
Seruiat hoc munus diuinæ laudis honori,
Nobilibusq; tuum sic benè cedat opus,
Quiq; vocat, facilis ferat incrementa vocato.
Et faueat studijs Numinis aura tuis.
Sic quæ fata premant Dominos, ciuesuè, tuosue,
Amore, & afflictis sedulus offer opem.
Maacte noua virtute, nouum iubar addito famæ,
Propositumq; animo semper adauge decus.
Indignum est, pedibus lassatis, poplite flexo
Laudibus inceptum sistere velle gradum.

Fridericus Ortlepius VVeinheimensis
Palatinus F.

PHALÆCIA.

 Alue Thespiadum decus sororum,
Et lumen Themidos seuerioris,
Huc qui Marchiacis venis ab oris,
Adiutum, moderante fata Christo,
Ascen-

Ascenburiadum domos auitas,
Doctæ consilijs & arte mentis.

Iamné Clare vides vir, ex amara
Vt radice, pijs bonisq; tandem,
In cultis Heliconidum rosetis,
Dulci proueniant sapore fructus
Cunctis delicijs suauiores?

Felicem quater, ô quater beatum,
Quem iuuat Themis & sacræ Camenæ,
Hinc & præmia laudis aucupari,
Vitæ & gaudia vera concupiscit!
Hæ nomen siquidem perenne præbent,
Et nullis peritura dona seclis:
Hæ nobis reboante sorte, dictis
Turbatas recreant dolore mentes,
In rebusq; ferunt decus secundis:
Hæ magnum procerumq; principumq;
Doctis conciliant viris fauorem,
Paulatimq; vehunt ad ampliorum
Nos fastigia celsa dignitatum.

Sic & te magis & magis, Magister
Optatis cupiunt beare donis,
Amphurtumq; modò vocant, honoris
Ad summos nitidi gradus, gerendum

Et

Et munus tibi dant, quod ante clari
Doctores subiere, & arte magni.

Quocircà tibi gratulor, Deumq̃;
Vt tantis benedicat, oro, captis.
Quod facis, facito, vigil tuorum
Summè Nobilium tuere causas,
Et semper tibi Pax sit alma cordi:
Sis scutum viduis: & orphanis Arx:
Solamen miseris: reis Asylum.

Sic Astræa potens, sacræq̃; Musæ
Obcingent tibi tanta commerenti,
Immarcescibili caput corollâ.
Salve Thespiadum decus sororum,
Et lumen Themidos seuerioris.

Christophorus Hipsted Bremensis.

AD IM-

AD IMMANVELEM IESVM
CHRISTVM

VOTVM

Pro felici abitu

MAGISTRI IOANNIS CHVERDES
Stendalia Metropoli veteris Marchiæ ibidem
Ciuitatum *αθηματισμῶς* officio per septennium fun-
cti ad Nobilissimos strenuosq; fratres ab
Assenburg Amfurtum sece-
dentis.

EST quod nunc auibus bonis valere
Hinc migrans, iubeam bonos piosq;
Nam sunt ceu stimuliq; cuspidesq;
Qui nos promoueant *Φόβοι* malorum,
Curant fabula, proh, vt æstimemur.
Ast tu CHRISTE, tuos per omne, seruans
Tempus, mirificas pios bonosq;
Salui vt præsidys tuis coruscent.
Quid Fortuna valet? Nihil beatum
Nil constans reperitur orbe toto.
Sic mentes hominum vaga & minaces:
Iam nobis bene comprecatur hospes,
Iamq; exoptat ocellus alter absit
Ni pulsum, velit esse cæcum, & orbe.

C

Sic

Sic Fortuna suas vices habebit.
Tam firmum nihil est: Huic malignus
Insperatò aliquid noui pericli
Gignit, perfidus impotensq; liuor.
Ast queis Pæonia est in arte cultus
Solis hisce manet decus perenne
FiliCHRISTE DEImanu benigna
Hinc dum me retrahis reluctèr? absit.
Sortes namq; tua in manu repostæ.
Quid? postliminio ad meas reuersus
Musas, ingenij vel huius esse
Quæ potest bonitas, laboris acta
Condam? Publica sunt: adhuc opellæ
Quod restat tibiCHRISTE dirigendum
Totum consecro, largiore dextrâ
Accerere alituum chorum: cohorte
Hac ductrice leues malis onustum
Quid prodest numerare multa secla
Aut quid perpetuis inesse tectis
Nî mentem placidis colas Camænis?
Augustinum etenim, graui senectæ,
Graias addidicisse, nosse linguas,
(Mirum) non puduit; quid ergo quenquam?
Nec non septuaginta & octo natus
Annos, Pomponius procacitate
Haud ludit stolidæ, nec artis expers,
Quærendo potius labore multo

Quid

Quid legis iubeat tenax voluntas:
Hinc laudem tulit ipse digniorem,
Æquitatis & vsq; iuris auctor.
LEGES NOSSE iuuat: Beata Sola est
Viuenti ratio videre Musas.
Torquentur varij, meis quod hortis
Secedam varius: Benigne pro me
Gnate CHRISTE DEI, parens bonorum
Infer: His medijs quod abstulisti
Ante hæc lustra, vel hinc & inde plures
Mœrentes, querulos, iniqua passos.
Haud felix renuens Deo vocanti:
Prosper hinc abitus Deo iuuante.
Et valle in lapidum boni Valete.

FINIS.



Et dicitur in scripturis deus
Hinc laudem tuam ipse dignetur
Aperire & esse in auctoritate
LEGE NOSSE in: Bona & mala
Vultu & iudicio dicitur
Iordani in dicitur, non quod dicitur
Secundum dicitur: Bona in dicitur
Gaudet MIRI TH. DEI, quod dicitur
Ipsi: Et in dicitur quod dicitur
Ante hoc dicitur, et hoc dicitur
Miserere, quod dicitur, in dicitur
Hanc dicitur in dicitur
Proposuit dicitur dicitur
Et dicitur in dicitur dicitur

F I N I S




- 35. Progr. in Fun. Ottiliae Steinmanni, Com. Hornesii coniug. 1661.
- 36. Bodmereri phil. et theol. stud. 1663.
- 37. Sennardi progr. orationis — a Brunifelt maam. 1663.
- 38. progr. in Fun. puellae An. Mariae Krohn. 1666.
- 39. — — — An. Marg. Vogleri. 1666.
- 40. — — — puellae Joh. Rinnersi. 1666.
- 41. — — — puellae Joh. Fr. Rinnersi. 1666.
- 42. — — — An. Eleon. Meieri. 1666.
- 43. Carmin. grat. ad Isenmannum. 1667.
- 44. Ode in raritatem. 1678.
- 45. Andr. Herm. Hellberg gratulantis Acad. Juliae prof. 1678.
- 46. Progr. Henrici Widchurpi. 1680.
- 47. Festu. nupt. Carp. Anoldi Sumbrecht. 1678.
- 48. Lat. ac debet. officium ad unum. 1678.
- 49. Pia vota ad Lud. Fabrum sponsorem et — sponsam. 1679.
- 50. Progr. in Fun. matris. Bornemanniae, Tannmanni viduae. 1681.
- 51. Progr. Joh. Reupen. 1709.
- 52. Progr. in Fun. An. Cath. Rinerichiae, Hornesii coniug. 1649.
- 53. Progr. XII Nov. A 1693.
- 54. — in Fun. An. Soph. Schmerhenniae, Sibth. Theod. Meieri vi. 1702.
- 55. — Agnerae Krohner, Carp. Torbori vi. 1712.
- 56. Abhandlung von der Abguldung von Voigt.
- 57. Progr. in Fun. Hamburgi Sizi. 1714.
- 58. Catalogus scriptorum in div. acad. editorum. 1732.
- 59. Progr. in Fun. Carolif phil. stud. 1757.
- 60. Memoria Toppii 1757.
- 61. — Sicili. 1758.
- 62. — Laur. Heideri. 1758.
- 63. De vita Frobesii. 1756.
- 64. Gratia panegyri. in diem nat. pini. Frederici V, Saxon et
Norwegiae regis. 1759.
- 65. De des principitate. Progr. sac. Christi natal. die. 1762.
- 66. Progr. in fest. Michaelis. 1762. —

Gh
1233

= Nonnulla derunt =

ULB Halle 3
001 920 952





ACCLAMATIONES

CLARISSIMO, IV-
 RIS LEGVMQVE SCIEN-
 TIA PERITISSIMO, PRVDEN-
 tiâ, longoq; rerum vsu instructissimo Viro
 Dom. M. IOANNI CONRADI Sten-
 dalia, Amfurtum in locum Excellentissim:
 Iurisconsulti D. IOACHIMI á
 BROITZEN &c. mi-
 granti

Gratulationis faustæ causâ transf-
 missæ.

ab
 Amicis



HELMÆSTADII
 Excudebat Iacobus Lucius. Anno
 M. D. XCV.

